Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2965

Quelle:
Copyright:

agmina &c. Seq. in Septuag. *Cantemus cuncti melodum nunc Alleluia* &c. In Octava Pasch. *Hęc est Sancta Sollempnitas Sollempnitatum* &c. et secundam de S. Michaele: *Summi Regis Archangele Michael* &c. Contra vero in *Nostro* non reperiri Sequentias SS. *Benedicti*, *Emerammi*, secundam S. *Michaelis*, *Galli*, *Otmari*, *Columbani*, *de Virginibus*, secundam *de Trinitate* et *Dionysii*. Praeterea, quae ei prima est *in Galli Cantu*, nobis reponitur ad *Octauam Domini* i. e. Nativitatis. An porro omnes hae Sequentiae *Notkeri Balbuli* foetus sint, dicere non habeo. Modulationis Tonum *Sequentiis* passim addit *Noster*, ut *Cod.* DCCCXXIX. quocum conferri potest. Ita comparet: *Alleluia* sive *Aeuia*, *Concordia*, *Romana*, *Mirabilis*, *Eia Turma*, *Trinitas*, *Symphonia*, *Puella turbata*, *Frigdola*, *Mater*, *Greca*, *Duo Tres*, *Uirgo plorans*, *Captiua*, *Occidentana* &c. Adscripta est in fine, calamo paullo recentiore: *In festiuitate sancti Germani confessoris nostrique patroni Sequentia*, quae incipit: *Laus tibi summe deus quem prenoscens helyseus* &c. Quae ad vitam *Germani* Ep. *Autisiodorens.* anno 448. demortui faciunt, sunt haec: *Qui more pagano relicto amatoris presulis successor Premonstrante deo est factus una omnium uoce postulatus. — Doctrinam fidei restaurauit. heresim pelagij cum dampnauit. diuino sermone. britanni gaudent uicta falsitate. Inter quos per ipsum tribuni ceca recepit filia uisum* &c. Sed haec uberius *Constantius* Presb. *Lugdun.* in vita apud *Surium* et in *Actis SS. Bolland.* ad 31. *Jul.*

III. *fol.* 58. p. 2. *Incipiunt Tropi Carminum.* Erant vero *Tropi* in latina Ecclesia Versiculi quidam, qui in Festis majoribus ante ipsum *Introitum* canebantur, de quibus *Ducangius* in *Gloss.* v. *Tropus*, et plura Cels. *Gerbertus* T. I. *de Cantu et Musica s.* L. II. P. 1. Primus nobis *De Nativitate Domini*, hoc initio: *Hodie cantandus est nobis Puer* &c. ultimus *In Dedicatione Ecclesię: Hodie reuoluat annua ista plebs Sollempnia* &c. Post Tropos: *Incipiunt Uersus super Kirie Eleyson.* Versus hi intercalares triplici modo pulcre variantur. Modus primus: ΚΥΡΙΕ Ο ΘΗΟCΚRITIC (κριτης) ΔΙCΗΕ-ΟC (δικαιος) ICΚIPOC (ἰσχυρος) ΑΤΗΑΝΑΘΟC ΙΧΑC (ἡμας) ΕΛΕΥCΟΝ. *O Pater alme sedens super alas cherubyn ac seraphyn esto pius atque clemens famulis pro debitis. kyrie eleyson* &c. Alter modus: *Canamus cuncti laudes ymnificas soli deo placidas. kyrie eleyson* &c. Tertius modus: *kyrie eleyson. Omnipotens genitor lumenque et lucis origo. kyrie eleyson* &c. Post haec sola formula *kyrie eleyson* multiplici modulatione repraesentatur. Huic succedit Δοξολογια *Gloria in excelsis* &c. inscripta *Carmen Angelicum*, et ipsa quadruplici modulationis varietate, sed ultimae uti et *Symbolo* CPlitano, quod hic *Apostolicum* audit, *Notas Musicas* imponere oblitus videtur